



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-764823-p0001-6

DFG



3

1773, 2a

AB

M. IOANNIS GEORGII ZENKER  
DE  
PRINCIPALI BVRGGRAVIORVM  
NORIMBERGENSIVM  
D I G N I T A T E  
EORVMQVE  
TERRITORIO  
ANTE RVDOLPHINAM INVESTITVRAM  
DE ANNO MCCLXXIII.  
COMMENTATIO PRIMA.




---

ERLANGAE

APVD IOANNEM IACOBVM PALM. c/o Is CCCLXXXIV.







¶. I.

*Introitus.*

Quodsi vñquam tritum illud, sua quemque trahi voluptate, in dubium vocare ausus essem, nunc fane de veritate illius persuasus in alia omnia lubens concederem. Et enim cum more maiorum specimen aliquod academicum mihi sit elaborandum, in eam disciplinarum partem excurrere fert animus, quae mihi a teneris vsque in deliciis fuit. Est illa quidem dulcissimae patriae historia, quae res cum in Franconia nostra, tum in Electoratu Brandenburgico, gestas complectitur, vbertate varietateque sua tam grata tamque iucunda, immo arctissimis vinculis cum Imperii Germanici rationibus aequae ac Iuris Publici doctrina cohaerens, vt vel exteros, ne de indigenis dicam, in ea excolenda illustrandaque operam posuisse, nunquam poenituerit. At enim vero quo me abripit specialis historiae studium laudandi cupido? Pertinet ad saeculi nostri genium ac felicitatem, vt plurimi scriptores, quibus solidioris historicæ doctrinæ cognitio curae cordique est, ceteruatum symbola conferant ad singularum Germaniae nostræ prouinciarum res domesticas adornandas. Quorum conatus eo magis prospere succedunt, quo largiori manu hoc potissimum

A

mum

mum tempore documenta e scriniis publicis in lucem proferuntur atque conspectum, ita ut artis diplomaticae praesidiis sat idoneis instructi, singularum rerum publicarum genuinos aperiant rerum fontes, ex quibus haud sine magno fructu haurire; quinimo vniuerfae Germaniae faciem clare distingue ob oculos ponere atque tali modo singulis ad vnguem elaboratis partibus aedificium extruere valeamus, aliisque partium harum defectu laborantibus palmam eripere. Longe a scopo aberrarem et iam ab initio nimiae verbositatis forem accusandus, si haec tenus dicta multis comprobare exemplis atque laudatores singularum prouinciarum scriptores citare vellem. Sufficit et in rebus Brandenburgicis nobis suppellectilem non esse curtam harumque tot extare conditores ut illi, quibus placet in historiam patriae inquirere, habeant, quo sitim etiam maximam restinguant. Locum inter illos subinde occupant viri limatissimi ingenii, qui accurate diligenterque ac copiose res domesticas enarrant, easque aequa lance ponderarunt. KÜSTERI Bibliotheca Brandenburgica II. Vol. 8. comprehensa, adeo amplum horum scriptorum exhibet recensum, vt lubens eos sigillatim recensendi labore supercedere possum. Hoc vnicum addo, quod ex hominum natura, prouti est, facile quisque intelligit, quodque iam olim viri rerum gestarum nequamquam ignari obseruarunt atque memoriae tradiderunt, historiae patriae cultorem prae aliis periculo esse expositum, vt contra primum illud artis ac fidei historicae praeceptum, historico officium, a partium studio vt sit alienus, iniungens, peccet et a partium studio sese abripi patiatur. Si dulce est, vt cum Venustino poeta loquar, pro patria mori, cur non et pro patria scriptis contendere aequa sit dulce? quo fit, vt quam faepissime et a viris strenuae integratatis sua via, vti aiunt, somnia adoptentur, quae illi ipsi sane derisissent, nisi in Patriae scriptoribus fuissent obvia. Ne itaque in similem proletabar errorem, eumque potius omnibus viribus, quantum in me est, euitem, multa ac nimis multa de Burggrauiatu No-  
rico

rico lexitans mecumque reputans a me nullo modo impe-  
trare poteram, vt in illis acquiescerem narrationibus atque  
explicationibus, quae apud Brandenburgicos occurrunt scri-  
ptores, sed et in alienum campum exspatiari, Norimbergen-  
ses in primis adire scriptores et quamnam aduersaria pars  
hac de re sibi repraesentet imaginem peruidere inuabat.  
Hinc tantum abest, vt et recens illud Norimbergense scri-  
ptum me lateat, vt potius proximam huic dissertationi pree-  
beat occasionem.

## §. II.

*Accessio ad thesin.*

Trium annorum spatium iam est praeterlapsum, ex quo  
nempe viri quidam eruditio[n]is laude conspicui in tractu  
Norico agentes, coniunctis viribus in usum patriae vicina-  
rumque regionum collectanea quedam historico diplomatica  
Norimbergae publici iuris fecerunt. Binae horum miscella-  
neorum partes, quarum unaquaque quatuor compre-  
hendit sectiones, iam in vulgus sunt editae et, nisi me  
omnia fallunt, ita comparatae, vt coepti operis continuatio  
a quolibet historiae diplomaticae amatore et in primis a do-  
mesticarum rerum cultore omni iure meritoque sit expre-  
ßanda atque aude desideranda. Quod ad me attinet, lu-  
bens profiteor, me multum hisce Ephemeridibus debere,  
multaque in illis occurrere, quae ad inueteratarum atque  
praeoccupatarum opinionum nebulas dispellendas, immo et  
Brandenburgicae historiae lumen in quibusdam accendentum  
satis apta sunt atque idonea. Attamen et alia, prout fit,  
hisce collectaneis insunt specimina, tali modo elaborata, vt  
illis, si verum dicere liceat, calculum meum nullo modo  
adiicere possim, etiam si aliam quam Brandenburgicam terram  
natale solum venerarer. Hunc in censum venit peculiaris  
illa tractatio, quae partis secundae sectioni primae est inserta



atque sectione eiusdem partis secunda continua, quaeque eo spectat, ut Auctor speciosis quibusdam argumentis contendere conetur: dignitatem principalem et territorialem superioritatem ante Rudolphinam illam Ineßituram Burggraviatus Norico non suisse concessam, sed longo post hanc Ineßituram interuallo esse factum, ut insignibus hisce fuerint condecorati Burggrauii Norimbergenes. Obstant huic opinioni argumenta admodum ponderosa atque pro contraria parte tam strenue militantia, ut plane me habeant convictum, simulque impediunt, quo minus in Auctoris Norimbergensis sententiam pedibus ire possum. Auctoris anonymi, quem littera initialis H. in calce pertractionis apposita indicat, singularem in historicis atque diplomaticis notitiam, perspectam quidem habeo magnique facio. Diu itaque mecum agens aestumansque, quid humeri valeant, quid ferre recusent, num ne adeo aduersario tam exercitato conflictuique tam arduo par sim, malui verecundiam in periculum adducere, quam historicae deesse veritati. Vicit quippe recta bonaе causae conscientia, vicerunt argumenta firmo stantia talo, vicit denique spes haud prorsus iniqua, fore, ut vir tam insigniter doctus dubia mea modeste in medium proferenda non possit non in benignam accipere partem. Licet dissentire sine acerbitate, sine futili altercatione, quam ad temerarios istos gladiatores, si Diis placet, ablegabimus.

### §. III.

*Obiectio de nimis vulgari thematis sententia diluitur.*

Vna itaque animi dubitatione, anne ex inani controuertendi pruritu ardente pugnae cupidine ad scribendum impellar, remota, altera mihi de materia meditanti suborta est difficultas, quae me hinc atque inde vacillantem eo fere rediget, ut aliam atque plane diuersam specimenis thesin eligem. Quo magis enim variorum de origine atque dignitate

tate Burggrauiatus Norici scriptorum opera perscrutabar, eo certior sum factus, hancce materiam, et in iudicis a longissimis inde saeculis ventilatam ac priuatis studiis ex instituto pertractatam, tam decantatam tamque repetitam esse, vt mihi vexatissimae huic quæfitioni curas impendenti, vix aliud quidquam restet quam cramben apponere iam decies immo centies recostam. Quem enim latent acta voluminosa, quibus conscribendis peruulgatus ille territorialis processus ansam dedit, quorunque inuolucro omnia fere complectuntur, quæ multo ardore in utramque partem coram Camera Imperiali fuere disputata, vbi, lite iam ab anno 1526. pendente, et in possessorio 1583. et in reuisorio 1587. viçtrix Brandenburgica causa exitit? Quis ignorat SCHNIZLEINTI, SPIESII, STIEBERI, OETTERI, virorum de iuribus, historia atque antiquitate patriæ immortaliter meritorum hacce de re conscripta opera? Praeuerunt hisce RENSTCH in Cederorum luce, de FALKENSTEIN in Memorabilibus atque Analetiis Nordgauienibus, nec non in Norimbergenis ciuitatis historia, quam persona io. ab INDAGINE sumpta, edidit; de SCHÜZ, in Corpore Historiae Brandenburgicae diplomatico; GROSSIVS in Burggrauiorum Margraviorumque Brandenburgicorum historia, aliisque, quorum vestigiis supra laudati auctores tam felici inhaeserunt successu, vt hosce memoratos ne dicam aequiparauerint, sed et, quum illis Documenta in tabulis secretis condita et nondum antea in vulgus edita adire contingebat, longe superauerint. Quibus citatis auctoribus PFEFFINGERI Vitriarium illustratum, GIOVANNI seu potius de LVDEW:G Germaniam principem eiusdemque Reliquias MSptorum, GEOR:GII horas subsecuas Vffenheirienses, Repertorium reale pragmaticum iuris publici et feudalis I. R. G. aliosque scriptores adiungere possem, si admodum in laudandis auctoribus multis esse vellem. Qui quidem cum in ea re versarentur, vt selecta tantum capita ex ampla Imperii Germanici et in primis Patriae Historia ad amissim pertractarent, vel totam rerum in Brandenburgicis vicinisque terris gestarum seriem

A 3

con-



contexerent, non poterant non et in nostram incidere the-  
fin eique, de qua nobis sermo est, quaestioni enodandae ope-  
ram dare. Verum tamen nec desunt alii, quibus et ex in-  
stituto thematis nostri disquisitionem eiusdemque probatio-  
nem in se suscipere animus fuit. Prae aliis hic laudari mer-  
rentur LAYRIZII a) et STÜBNERI, nec non PERTSCHII de  
*Burggrauatu Norimbergenſi Burggrauisqne Norimbergensibus*  
solidae ac perquam accuratae Dissertationes, in primis vero  
b. de IVNG et cl. SEIDELII nostri opuscula, quorum vter-  
que vernacula lingua, ille de *Comitia Burggrauiae*, hic vero  
de origine ac ambitu Norici Burggrauatus eximia diligentia at-  
que antiquitatum medii aeui accurata cognitione scripserunt.  
Nonne igitur viribus meis plus roboris, quam par est, tri-  
buere videor, si adhuc post tam largam in hac disquisitione  
messem ad hoc spicilegium qualecumque colligendum me adcin-  
go? et sumne adeo quam maxime vituperandus, si prorsus nulla  
alia in medium proferre liceat, quam quae iam ab aliis sint  
audita atque tam abundantia eruditiois copia enucleata?  
Non puto; quamuis dici vix possit, quantopere haecce me  
retardauerit dubitatio. Postquam enim ex crebriori huic ar-  
gumento dicata meditatione intelligerem, vnam eandemque  
rem posse et solere diuersimode pertractari, fierique vt in  
refutandis dissentientium sententiis noua argumentorum vis  
comparetur, perrexii, et ingenio meo indulgens in coepiti  
operis proposito perstitti. Creuerunt huicce propposito vi-  
res quum in primis ex IO. SLEIDANI (quo sub nomine IO.  
PAVLVS ROEDERV, Symmista Lauffensis, latet) *succincta*  
*enodatione de tribus iisque primis infestationis litteris &c.* No-  
rimbergae 1751. 4. edita perspiccerem, et auctorem, quocum  
mihi res est, argumentis non admodum nouis in scenam  
prodiisse, sed mirum in modum, quod ad Rudolphini  
Diplomatici censuram attinet, non dico in omnibus,  
in plerisque tamen cum ROEDERO amice conspirare. Et non  
tan-

a) Contigit mihi ex apparatu li-  
brario Longoliano hancce Disserta-  
tionem comparare, de cuius raritate  
testatur Küsterus l. c. Vol. I. p. 407.

tantum ROEDERV<sup>S</sup> hicce sed et WOELKERI *Historia Dipl. Norimbergensis* eiusdemque auctoris *Singularia Norimbergensia* (vt WAGENSEILI de ciuitate Norimbergensi commentationem HEVMANNI, de vera vocis Comeciae significatione Dissertationem, FEVERLEINII de territorio Norico Disputationem aliaque Noricorum causam defendantia scripta b) praetermittam) vnum quemque docere queunt, argumenta et in aliis libris sparsim occurrere, quae nunc auctor Norimbergensis denuo in vnum corpus collegit ediditque. Negari nullo modo potest, quod iam *Selectorum Norimbergensium Perillustr.* auctor T. I. Cap. IV. p. 25. admodum bene animaduertit, aduersariam partem quamlibet et in scriptis academicis arripere occasionem, Burggrauatus Norici iura optime fundata impugnandi atque in dubium vocandi. Quo modo igitur nobis virtus verti possit, si hasce obiectiones examini subiiciamus argumentaque pro contraria parte militantia, etiamsi non omnia nouiter sint excogitata, in cathedram proferamus, non vide- mus. At enim vero nimis longe fortasse in vestibulo, vt ita dicam, sumus commorati, domus est ingredienda. Age- dum ad rem.

#### §. IV.

*Vtus iuris Germanici cum cautione in historia patriae adbi-  
cendi oportet.*

Positiones, quas auctor Norimbergensis tractationis suae §. 1. et 2. praemittit, eo fere redeunt, vt mediae aetatis ius publicum atque priuatum nobis commendet, atque ex huius b) scripta de quibus inuerso ordine idem dicere possim, quod de Brandenburgicis Scriptoribus Auctor enuntiare non dubitauit, ea nimirum etiam Brandenburgicarum terrarum moderatores ad manus

conferendas prouocare. Sed absit! quum singularem horum virorum magnificaciam eruditionem, bona que eorum scriptis insunt, agnoscam.



huius studii et legum veterum Germanicarum negligentia  
prouenire contendat, vt quam plurimi de vera officialium,  
quos Imperator Imperii ciuitatibus praeposuit, indole, per-  
uersam sibi singant imaginem. Leges Germanicas genuinac  
de veteri statuum regimine, de officio atque dignitate Imperii  
officialium notitia viam aperire, THOMASII, HEVMANNI,  
PÜTTERI, testimoniosis confirmat auctor; ad *Speculum Saxon-  
icum*, *ius prouinciale Alemannicum* (quod minus recte Suevi-  
cum Speculum vocant) iusque *Caesareum* deficientibus artis  
diplomaticae subsidiis recurrentum esse addit, simulque in ha-  
rum collectionum obtrectatores et in primis in *LVDEWI-  
GIVM* inuehitur, quasi minus sibi constans Speculorum com-  
pilatores vilipenderet. Non habeo, quod annotationibus  
hisce in se consideratis egregiae opponam, nisi quod restri-  
ctio quaedam sit adhibenda, si illis plane subscribere velim.  
Sit et Speculis aliquis legum Germanicarum mediae  
aetatis collectionibus suus honor suaque laus, vt pote publica  
auctoritate desitutas, naevis plurimis, scilicet repetitionibus  
permolestis, incongrua peregrinorum domesticorumque  
iurium commixtione &c. laborare easdem, certo sit  
certius. Atque si auctor statuit confirmationem Caefaream  
atque viuueralem receptionem successu temporis Speculis  
accessisse, quam vellem, vt probasset. Sane Senkenbergius,  
cui plus nimio tribuit auctor, in celebrissima illa de Iure  
Caesareo contouersia, qua sibi mirifice placuit, suo nos  
docuit exemplo, optimos quandoque dormitare Homeros,  
ideoque iustum harum rerum arbitrorum competentium notam  
est passus. Absit vero, vt iuri Germanico debitum detrahant  
honorem! absit, vt legum memoratarum collectionum pretium  
diminuat! Ex quo enim, iuuenum nobilium mihi amicissimum  
moderator studiorum, et Themidis sacra mihi adire contigit,  
magna cum voluptate Germanici ac Publici iuris do-  
ctrinam, prae aliis Iurisprudentiae partibus, sum amplexus,  
et ob arctiorem cum studio historico coniunctionem de amo-  
nitate atque utilitate illius adeo persuasus, vt cum aduerfa-  
rio

rō eos respūam vituperemīque, qui nullo non tempore peregrina iura romana in coelum usque laudibus evehunt et, patriis iuribus omnino posthabitis, semper ad Codicem atque Pandectas, ad BARTOLVM atque ad BALDVM, quasi ad sacram ancoram, configunt. At enim vero, pace laudatissimi adverfarii illud reticere non possum, quod in ICTORUM scholis, ab ore doctissimorum virorum pendens, audiui, quodque, theoria generali imbutus, priuatis studiis iam sum edoctus, Ius nempe Germanicum vniuersale magis esse in votis quam in rerum natura, fierique non posse, vt in consonantiam dederatur. Paucissima enim iuris Germanici praecepta ita sunt comparata, vt iam illorum temporum, quibus in valuerunt, communis obseruantia aegre doceri possit. Quam plurima eam prae se ferunt notam, vti aiunt, characteristica, vt illorum valor exiguis plerumque finibus continetur, et tantum abfuit, vt ad omnes Imperii provincias se extenderet, vt potius in una eademque provincia diuersissimae consuetudines vigerent. Prono inde fluit alueo, si in aliquo probationis genere, certe in hoc caute esse versandum, si ex medi aeui Legibus veritates eruere velimus historicas. A particulari ad universale consequitionem qui infert, is peccat, quique statuta singulis quibusdam locis dominantia et alibi aliter definita nullo discrimine toti tractui applicare studet, susque deque agit miscetque quadrata rotundis. Exemplis si opus est, ea mihi in mentem veniunt, quae de rerum dominio, deque modo succedendi iure Germanico traduntur. Quam varia, quamque diuersa in vna eademque regione e. g. in terris Franconicis, deprehendimus rusticorum bona! quam varios atque plane diuersos in iisdem terris succedendi modos! Quis circa consuetudines in terris Onoldinis atque Baruthinis obuias vel mediocriter versatus, ignorat, in vna eademque praefectura communione valere bonorum modo vniuersalem, modo particularem? Et quum non de iure atque obligatione, sed de iurisdictione, officio atque dignitate officialis cuiusdam Imperii nobis



fit differendum, nonne v. g. veterum Germanicarum legum natura varias easdemque quam maxime diuersas vocabuli Comeciae f. Comitiae significationes admittit? c) Cui volupe est adeat deductionem pro filiabus hereditariis de Sayn 1664. in lucem emissam d) et 1742. in pervulgata illa de Comitatu Saynensi controversia iussu aulae Onoldinae recusam, atque tenuem illam Saynensem Comitiam cum nostra Burggrauiae in Nürnberg eaque splendida comparet. Is certe sibi persuadebit, ROEDERV minus recte, ne dicam acerbe, de sesquipedalibus loqui verbis aduocatosque Burggrauientes admodum grauiter vituperare, quod Saynensem Comiciam extenuauerint et contra Noricos disputationes, nomen Comeciae largius interpretati fuerint. Ille potius, dum id, quod in terris obtinuit Rhenanis, ad Franconicas applicare conatur, confundit quae plane sunt diuersa, et iis, quae sunt distinguenda, non distinctis, eius scriptura non bene concordat. Haec omnia vberius demonstrare simulque de diuersis Burggrauiorum generibus, quae vnam eandemque diiudicandi cynosuram nullo modo permittunt, pauca inserere possem, nisi magnum et in iuris Germanici praeceptis frequens inter Burggrauios discribens commodiori loco esset reseruandum et eodem, quo auctor aduersarius, ordine incedendum. Accedamus ergo ad eius pertractionis §. 3.

## §. V.

c) Eas illud admittere et Heumann. Diff. cit §. III. statuit, quemadmodum, aiens, comitis vocabulum, pro temporis et conditionis varietate, variam postulat interpretationem: ita dubium non est, quin et comitiam diversa ratione explicari oporteat.

d) wahrhafter Gegen-Bericht dass die unmittelbare ganze Reichs-Grafschaft Sayn mit nichten der Chur Pfalz Lehen iemahlen gewesen, weniger aber noch seye &c. 1742. fol.

## §. V.

*De antiquitate et libertate Ciuitatis Norimbergensis.*

Mentionem ibi faciens ciuitatum imperialium earumque veterum Officialium, disquisitionem de antiquitate vrbis Norimbergensis se in posterum exhibitum pollicitus est auctor Norimbergensis. Quam datam vellem ut iam fidem liberausset! mirorque eum hoc loco tam congruo hanc disquisitionem omisisse. Inde enim quaestio maximi momenti pendet, sic se habens: vtrum Burggrauiatus in vrbe Norimberga, vti Noricis placet, an potius Norimberga vrbs in Burggrauiatu, quam contraria pars prae se fert sententiam, sit orta? Filum abrumperem, atque fines specimini academico positos omnino excederem, si in praefentiarum ex professo id indagare vellem, quod ab auctore Norimbergensi expetare praefstat. At enim vero non possum, quin paucula quaedam hacce de materia inseram. Quod ex tota temporum serie patet, quodque inter omnes constat, et regnorum et vrbium origines densissimis tenebris quam saepissime esse obvolutas, idem quoque de ortu Norimbergae ciuitatis valet; quam ob causam nemo mirari debet, scriptores in diuersissimas de eius origine abire partes. Ut friuolas atque illepidas eorum hallucinationes mittam, *e)* qui, fide historica refragante, egregie sibi placent, dum, venuste scilicet! Noricum, Herculis filium primogenitum, conditorem arcis finiunt, vel duce MEISTERLINO, *f)* alias viam ingressi, Dru-

B 2

sum

*e)* cf. omnino ill. Harlesi praeceptoris, omni, qua par est, obseruantia venerandi, Disq. problematica de originatione vocabuli Nurenberg Erl. 1764. 4. qui admodum ingeniose suspicatur, a situ septentrionali Noribergam fuisse

nuncupatam. Addere placet ex Seidelli libro allegato p. 68. vrbem Norimbergensem a temporibus, quibus innotuerit, non fuisse Noribergam, sed semper Nurnberg appellatam.

*f)* Ex Ludewigii Rel. Mspt. Tom.



sum Neronem, Tiberii Caesaris fratrem, vel ipsum Tiberium Neronem Caesarem, castri conditores, singulari atque inaudita plane fiducia praedicant. Nec illis calculum adicere possumus, qui Etymologiae nimium indulgentes, ab vberitate et omnium rerum affluentia (quasi Nahrungsberg dicatur) nomen Norimbergae deriuant, seu similitudine vocis decepti, Nürnberg idem ac solitarium montem (nur ein Berg) sonare statuant. Quid quod et recentiores atque cordatores rerum Norimbergenium scriptores tanto patriae amore non sunt offuscati, vt hisce figmentis pascantur. g) Coniecturam h. CONRINGII, qui a Nariscis Norimbergam dictam et pro Nariscis, in TACITI Germania obuiis Noricos legendum esse, arbitratur, aliis diuidicandam relinquens, nec receptioni sententiae a WAGENSEILIO, SAGITTARIO, de FALKENSTEIN nec non SCHWARZIO adoptatae subscribe-re possum. Perhibent enim laudati scriptores, Noricos, dum seculo X. Henrico Aucepe fasces Imperii tenente, ab Hunnis premerentur, nostris in terris fixisse pedem, in colle vrbi adiacente Castellum rudi opere exstruxisse, atque et colli et vrbi nomen dedisse. Quae autem sententia antiquiorum documentorum fide non suffulta et veterum scriptorum, quum teste Sagittario, ante seculum a Christo nato vndecimum<sup>b)</sup> viz villa Norimbergensis ciuitatis reperiatur memoria, testimonio destituta, recentiorum c. CELTIS, b. PIRKHEIMERI inititur auctoritate; quaeque a Noricis eorumque ferri molliendi causa exstructis officinis circumferuntur, cl. SEIDELIO et ill. HARLESIOS admodum recte monentibus, com-

men-  
Tom. VIII. p. 16. facile est intel-  
ligendum, quam subletiae omnino  
fidei sit bonus ille magistellus,  
quamque calamum habuerit vena-  
lem.

g) Exploserunt iam eiusmodi  
derivationes. Unumuius quondam  
celebratissimi Wagenseil Comment.

de Ciu. Norib. C. II. et Sagittarius  
Diff. de Hist. Ant. Ciu. Nor. recusa  
Altd. 1745.

h) Primus, quod sciām, qui  
vrbis meminit Auctor est chronici  
August. ad a. 1070. his verbis vñus.  
In Nürnberg Sebaldus primum mi-  
raculis inclaruit.

menti monastici sapiunt naturam. Suauiter mihi arridet sententia, quam *cel. SEIDELIUS l. c.* prae se fert, quamue ex antiqui temporis ratione euincit. Multam enim veritatis speciem habet, iam Caroli M. temporibus, vel aliquando post, Castrum Norimbergense extitisse, atque, a Comitibus, i) vicinae prouinciae p[re]apositis, occupatum contra Slaivorum et Winidorum crebras irruptiones atque repentinis incursiones propugnaculum fuisse. Ortum vero, quem arx habuit, etiam ciuitati tribuere, eo minus recta concludendi ratio suadet, quo magis ex tota Germaniae facie elucet, Castella primis Germanorum populis p[re]a ciuitatibus placuisse iisque multum esse antiquiora. Vrbis splendori omnino nil detrahimus, si vitam atque lucem eius ex periodo Imperatorum Franconicorum deducentes, ab imperatoribus e familia Stauffensi incrementum accepisse, affirmamus. k) Atque etiam si largimur, dispersa quaedam tuguria, iam fortasse Conradi II. tempore in vicinia Castrorum Norici aedificata exstisse, nolumus tamen illa ipsa tuguria nomine oppidi insigniri. Immo si et hoc concedamus, tam tunc temporis aedificatas domus faciem quandam oppidui induisse, quid? nonne temerarium esset, id exinde euincere, quod nonnulli sibi persuadent, liberta-

B 3

i) Ex eorum numero *Adelber-*  
*tum Babenbergensem* fuisse ferunt, qui sub Ludovico Infante, Caroli-  
 darum ultimo, vixit, atque, astu-  
 tia Episcopi Hattonis circumuen-  
 tus, perit.

k) Si Fabulis esset honor, mul-  
 ta de Curia Ottonis M. Norimbergae  
 habita, deque eius reconciliatio-  
 ne cum f[ecund]itio priuigno Ernesto  
 afferre possimus. Sed merito hasce  
 fabellas ad calendas ablegamus gra-  
 cas. Et quod de Henrico Conradi  
 II. fratre Gobelinus Persona memo-

rat, quod fratri resistens ad Re-  
 gem Hungariae fugere coactus, et  
 per appositionem carnis in die Pa-  
 rasceues ab eo deterritus, ad regem  
 fratrem suum reuersus, veniamque  
 consecutus, Nurnbergh sponte re-  
 liquisset Imperio; tam multis dubiis  
 adhuc sunt obnoxia, ut vix creda-  
 mus, sinceros Norimbergensium  
 rerum scriptores illis suffragium  
 dare posse. Et Sagittario fides non  
 est habenda, affirmanti, iam sub Con-  
 rado II. ciuitatem liberam esse fa-  
 etam atque immediatam.



tem nimirum seu immedietatem Ciuitatis Norimbergensis ab hisce temporibus remotissimis esse repetendam? Absit! B.  
GEORGIUS tractatione sexta, borarum subsecuarum Vffenheimiensium Part. I. inserta, luculenter, vt mihi quidem videtur, demonstrauit, ad interregnum usque, quod vulgo sic nuncupant, ciuitatem Norimbergensem Sueuiae ducibus fuisse subiectam, atque a nexu municipali nequaquam liberam. Adstipulantur huic opinioni documenta tam probata, scriptorum coaeuorum testimonia tam euidentia, vt nondum perspicere queam, quomodo iis assensum praebeamus, quae singulari libro de ciuitate Norimbergensi semper libera tradere non dubitauit ROEDERV. Quodsi perpendamus, interregni tempus, quo Germaniam capite destitutam, in partes diuisam atque turbidis rebus misere dilaceratam deprehendimus, plerisque ciuitatibus ad immedietatem consequendam fuisse opportunum; quodsi porro hoc addamus, post infelicem Conradii illius obitum atque Ducum Sueuicorum interitum, in Sueuicis atque Franconicis terris, plerosque status id fuisse auffos, quod antea non audebant, omnia bene cohaerent, si vribis Norimbergensis immedietatem in hanc collocamus periodum. Evidem scio, Norimbergenses ad hancce thesin euentadam insistere Priuilegio Friderici II. Imp. anni 1219. in quo enucleando totus est WOELKERV, atque identidem prouocare ad librum censualem, quem Saalbüchlein vocant, Historiae Dipl. Norimbergensi insertum. Quod ad Priuilegium illud attinet, dubiis, quae b. de schüz in sylloge Diplomatuum p. 61. illi oppofuit, quaque et alii de suspecta GOLDASTI fide mouent, nondum ita satisfecerunt Norimbergenses, vt a nostro tramite nos deducere queant. Nam etiam si Diplomaticis *av9vrlaw* in controuersiam vocare nolimus, immunitatum concesiones Friedericum II. Ducem Sueuiae auctorem habent, neque ex imperiali eius dignitate profectae sunt.)

Et

I) Adeas, quaeſo, cel. Oetteri eruditam huius rei endationem Hist. Burggr. Part II. p. 666, vbi, in refutatione Heumanniana Diff. de vocabulo comeciae occupatus, et huius Priuilegiū mentionem facit.

Et liber censualis, quem ROEDERV<sup>s</sup> ante Friedericī Caesaris aetatem scriptum esse perhibet, tam multis vitiis a de FALKENSTEIN in *descriptione urbis Norimbergen-sis* p. 274. notatis, abundat, vt antiquior urbis immiedietas, teste tam suspecto laudata, extra omnem dubitationis aleam nondum sit posita. Conspicimus igitur ciuitatem sub Imperatoribus ex stirpe Franconica ortam, mox Ducatu Sueuico parentem, Imperatoribus ex stirpe Stauffensi in deliciis habitam, post Ducum vero Sueuicorum occasum a nexus municipali liberam atque immediatam. Quam multis priuilegiis postea haecce ciuitas ab Imperatoribus Henrico VII. Ludo-vico IV. Bauaro et in primis Carolo IV. patre et Wenceslao et Sigismundo filiis, insignita fuerit, nostrum non est, vt demonstremus. Hoc vnum praeterire nolumus, quod et Burggrauiatui nostro hisce Priuilegiis multum detrahi potuerit, nisi Priuilegia intellegentur saluo iure tertii neue existerum Priuilegia derogatoria. Sed quantum satis esset de antiquitate ciuitatis Norimbergensis, m) in qua cardo negotii vertitur, disputauimus, quare non poteramus eam plane siccō pede praeterire, ne, dum breues esse studemus, in posterum obscuri fiamus. Nunc ad thema proprius accessuri Burggrauitorum nostrorum originem eorumque dignitatem principalem atque cum ea, iam ante Rudolphinam Inuestitiram coniunctam superioritatem territorialem perquiramus atque inuestigemus, necesse est. Quae quo

m) Miror aduersarium §. 3. loqui de ciuitatibus iam tempore Carolingiorum liberis, muro vallo que munitis. Allegatus Vitriarius testimonium omni exceptione maius hac de re exhibere sane non potest. Quid, quod et anilis fabula de Henrico Aucupe, urbiū praecipuo conditore iam dudum explosa est. Statuere, Norimbergam dilu-

iam Carolingiorum tempore libera-  
ram fuisse, testimonia allata pro-  
hibent, atque ex iisdem patescit,  
quid de Imperii officialibus iam  
tum urbi praepositis, quos scripto-  
res Nor. impensis coadceruant,  
quique ab aduersario cit. §. 3. bre-  
uiter tanguntur, fit sentendum.  
In Carolidarum periodum sane non  
quadrant.



dilucidius cognoscantur, duas cum hac nostra materia cognatas obseruationes praelibabimus. Quarum altera originem superioritatis territorialis in genere, altera vero ortum Burggrauiorum generatim tractabit.

### §. VI.

#### *De superioritate territoriali in genere.*

Quicunque animo secum volutat, arduam ac vexatissimam de initiis superioritatis territorialis quæstionem iam multos<sup>n)</sup> exercisse viros, eamque auctorem desiderare abundanti iuris Publici cognitione instructum, is sane omni numero absolutam huius materiae pertractionem, quam nec Dissertationis spatium circumscriptum exhibere finit, a me non expectabit. Liceat mihi tantum hoc loco positiones quasdam stabilire quae iam ab aliis euictæ themati probando multum inferiunt, quaque commodius in peculiari Dissertationis paragrapho comprehendam, quam disruptas iis attexam, quae de origine Burggrauiorum mox sum allaturus. Abunde notum et perquam vulgatum est, Imperii R. G. formam, cuius similitudinem in toto terrarum orbe non reperimus, iam ab antiquissimis temporibus magnas subiisse mutationes. Quae

<sup>n)</sup> cf. M. H. Gribneri et B. G. Struvii Difq. de Dominio directo in alieno territorio 1743. recusae, quibus adjuncta est Recensio Scriptorum de S. R. I. Territoris, variis eorum speciebus, adquisitione, incorporatione, condominio, superioritate territoriali, nec non seruitutibus iuris Publici. Centum et quadraginta tres ibi allegantur auctores, quorum numerus scriptis post an-

num 1743. ad nostra usque tempora vulgatis, mirifice adhuc augeri possit. Gratus profiteor me multum debere illustr. Rudolphi nostri, praceptoris ad cineres usque venerandi, Vindicis territorialis protestatis, quarum Cap. II. indolem ac naturam superioritatis breuiter sed exquisite perillufrat. Et ipse aduersarius Norimb. in subsequentibus ad hanc prouocat vindicias.

tempore Merouingicorum et Carolidarum successiva seu hereditaria fuit forma, sub Arnulpho evasit electitia et e republica simplici sensim atque pedetentim demum facta est resp. composita. o) Duces igitur regimen prouinciarum, quod ab initio nomine Imperatoris ab illis exercebatur, successu temporis proprio motu exercuerunt; et comites atque dynastae, qui Ducibus in regula subiecti fuerunt, quique in pagis subordinati imperii exercitum pari modo habuerunt, postea p) illud ipsum quoque acquisuisse constat. Ex quo in Imperii G. prouinciis haec magna cognoscitur rerum conuersio, adeo, quod superioritatis territorialis nomine venire solet, et in praesentiarum Germanicis Imperii territoriis, in sensu politico sumtis, q) adhaeret. Quum verba valeant sicut num-

mi

o) Rempublicam compositam non idem valere, ac sistema foederatarum ciuitatum, quod Hippolyto a Lapide (Chemnitio) et Treuero placuit, Iuris Publici Doctores abunde docent.

p) Quum Auctor N. quaestio nem in rubro per trahationis excitatam, sectione secunda disquisitionis ita proponat: vtrum Burggraviatus N. originetenus (ursprunglich) fuerit principatus, nec ne? iam ex supra allatis patet, quamnam responcionem in promtu habemus. Nulla veterum Imperii Procerum dignitas, ducalis, principalis aut alia statim ab origine ita erat comparata, qualis hodie conspicitur, et affertio, ex Imperatoris officiali-

bus status Imperii fuisse ortos, splendori familiarium illustrium nil detrahit et Historiae consentanea est. Nullus Brandenburgicorum scriptorum vnguam dixerit, Burggraviatum Norimbergensem iam ab incunabulis fuisse principatum. Itaque non de dignitate *originetenus* principali, sed de termino a quo in iis, quae sequuntur, cum auctore N. erit disceptandum.

q) Differt hicce significatus quam maxime a geographicō, estque territorium, in sensu politico sumtum, prouincia Imperii R. G. familie illustri s. ecclesiasticae fundationi competens atque potestati Imperii R. G. immediate subordinata.

C

mi, quumque pessima quaedam logomachia et hacce in re quam saepissime deprehensa, noxiā nullo non tempore tricandi suppeditet materiam, incongrua atque iam ab aliis reprehensa, ab vnu, tyranno, introducta *superioritatis* denominatio explicacione indiget; et ii quidem recta via insistere mihi videntur, quibus *superioritas* ab *Imperio summo, maiestate et potestate suprema ciuali solicite distincta, subordinatum est in Prouinciis I. R. G. imperium.* Quibus iuribus essentialibus aequē ac accidentalibus modo definita dependens territorialis potestas absoluatur, quamque varias diiudicandis rationes requirat, huius loci non est inquirere.<sup>r)</sup> Sufficit potiora momenta, quae et Disquisitioni nostrae usum praestare queunt, eo redire, vt omnia iura potestate ciuali comprehensa in Germania sint iura territorialia essentialia, nisi naturae superioritatis territorialis, aut LL. Imperii repugnant, item: vt, quidquid est in territorio, censetur esse quoque de territorio. cet. Quum igitur quaestio a nobis dilucida eo tendat: an statim ab initio superioritas territorialis Burggrauiis Norimbergensibus competit nec ne, varias Iuris Publici Doctorum de origine superioritatis territorialis disceptationes sicco pede praeterire nequeo. Optime, nisi me omnia fallunt, ii faciunt, qui, huius materiae expositionem suscipiant, distinctionem statuum ecclesiasticos atque saeculares inter praestruant. Docent quippe Imperii nostri Annales, Ecclesiasticos sibi comparasse superioritatem territorialem, dum, temporum suorum conditione usi, ab Aduocatis, perquam illis molestis, per varios casus, per varia discriminina rerum in libertatem fese vindicarent. Alio vero atque plane diuerso modo saeculares systema for-

<sup>r)</sup> *Quinam Characteres superioritatem territorialem ingrediantur et quam caute sint designandi, Heumannus peculiari Diff. Altorfii 1749. habita, eximie, ni fallor, explanavit.*

formarunt territoriale. Quo vero modo? Id monstrare opus, id indagare labor est. LVDEWIGII paradoxa in *Diss. de Germania Principe sub Conrado I.* ventilata, quibus GVNDLINVGS, strenuus oppositi vindex, Dissertatione de *Statu Republicae Germanicae sub Conrado I.* obuiam iuit, superioritatem nempe territorialem iam post extinctam Carolidarum stirpem, Conrado I. ad Imperii gubernacula accedente, extitisse atque omni vigore iam inualuisse, in vulgus nota sunt. Licet eandem sententiam iam PAVRMEISTERVS, LEHMANNVS, MONZAMBAVVS, (*de Puffendorf*) CONRINGIVS atque COCCEIVS pro-pugnauerint, eaque GLAFEVVM et in primis ROSMANNVM habuerit fautores; verum tamen vix ac ne vix quidem poterit illa ex monumentis Imperii probari, quin potius ea ipsa sat illi repugnant. STRVBENIVS igitur, vir summus, aliam viam ingressus, putat, Imperii status pluribus titulis singularibus regalia acquisiuisse. Quomodo vero hacce opinio cum Imperii Historia, cum superioritatis territorialis notione, *complexum iurium indicante*, conciliari possit, alii viderint. Hoc harum rerum peritissimi lubenter concedunt, superioritatem territorialem, quae ab longissimis inde saeculis a statibus sperabatur, puncto temporis quasi Deum ex machina non profiliuissent, statuunt tamen, quod et nobis placet, breui admodum temporis spatio eam natam esse. Quidquid est, de illa singulari atque valde impugnata *Ludewigiana* sententia, inficias ire nolumus, aliquid veri ei inesse atque Conradi I. immo-  
iam Merouingicorum atque Carolingicorum temporibus vestigia S. T. fatis luculenta occurrere. Ad Duces cogitationes si dirigamus, longe sane eminentiori dignitate sub Conrado I. eos conspicimus, quam qua oīm inclarerunt. Quod si res aliter se haberet cur, queso, Henricus Auceps, iusti aequique amantissimus princeps, quem Conradus I. nimiam eius potentiam timens, Ducatu Thuringiae exuere tantopere cupiebat, tam acriter tantaque pertinacia restitisset, vt, quanticumque fuerint regis conatus, in irritum tamen omnes

C 2

omni-



omnino caderent? cur denique idem animus et ceteris Ducibus, Arnulpho Bauariae, Giselberto Lotharingiae, Sueviaeque Burchardo fuisse, prout ipsorum res gestae docent? De iure autem vel, si placet, iniuria horum principum virorum disputare, instituti ratio non permittit; at fecerunt, atque factis luculenter declararunt, se potestate, quam tenebant, non amplius spectasse tamquam nude administratoriam vel praecariam, sed tamquam imperium ipsis proprium. Id dilucidius adhuc ex illis temporis rationibus perspici potest, quibus, Conrado I. fatis perfuncto, Henrico Saxonii imperium fuit delatum. Is sane Imperii delationem sibi postulans idque acceptatione acquires, aliud quiddam in animo habere non poterat, quam eodem modo Imperium suscipere, quo modo ipse ceterique Ducees antea Conrado permittere voluerant; voluerant autem, ut simul ipsis superioritas territorialis salua esset. Tacitum itaque pactum, superioritatem territorialem Ducibus indulgens, iamiam tunc temporis adfuisse, a vero abhorrente, non est quod credamus. Id quod ergo Ducibus tacite ab Imperatoribus fuit concessum, per longam deinde saeculorum seriem, Imperii obseruantia magis magisque fuit corroboratum, atque, via facti in viam juris degenerante, et praescriptioni, ceu iustissimo acquirendi titulo, non nihil erit tribuendum, usque dum Pace Westphalica S. T. confirmata esset atque omnis dubitationis vinculis exfoluta. Atque haec de Ducibus proleta, mutatis mutandis, ad Comites quoque posse transferri, quid prohibeat, non videmus. Qui quidem Ducibus, quibus olim in regula subiecti fuerant, obsequium denegabant atque, iugum excutere studentes, nonnunquam et armorum vi, non ita multo post, in pagis atque Comitatibus idem obtainere volebant, quod Ducibus in prouincis felici admodum successu, euenisce perspexerunt. Certum atque determinatum tempus, quo Comitum potestas propria sit facta, definiri quidem vix potest, KOELERV M tamen, (Reichs-Hist.

Hist. p. 115.) insignem historicum, mecum consentientem si-  
stere possum, si, hancce mutationem iam Conradi II. tem-  
pore fuisse peractam, affirmem. At enim vero multum abest,  
vt omnia iura, hodie superioritati territoriali inherentia,  
iam ab initio sub illa complesterentur. Essentialia iura ab  
accidentalibus folcite vt distinguamus, necesse est, et quum,  
posita superioritate territoriali, illa ponantur, haec, manente li-  
cet superioritate territoriali, et abesse possint. Exempla nobis  
sint iura monetae, vestigialium, metallifodinarum atque ius  
venationis, quae S. T. necessario non insunt, nec ab initio  
infuerunt, sed specialibus quibusdam titulis, priuilegiis, praes-  
criptione, cet. adquisita, successu temporis cum ea coaluer-  
unt. <sup>s)</sup> An Ciuitates Imperii et Nobiles imperio, alio Do-  
mino non intercedente, parentes, superioritate gaudeant  
territoriali, varia agitur Themide, atque adhuc sub iudice  
lis est. Hoc certe negari nullo modo potest, si cuiilibet  
non statui immediato, superioritas territorialis esset tribu-  
enda, fore, vt plures eadem insigniendi essent, qui non sunt.  
Quo pertinent Canonicorum quedam Collegia, Ganerbina-  
tus immediati atque immediati pagi. Quos omnes supe-  
rioritate territoriali potiri, haud commode dici potest. Ad  
Nobiles vero immediatos speciatim quod attinet, alii e. g.

C 3

10.

<sup>s)</sup> Haec perpendas, quaeso, quia  
et disquisitione de principali digni-  
tate Burggrauiatus Norimbergensis  
multum inferiuntur. Multi, e. g.  
*PIETSCH in Diff. de meritis Domus*  
*Brandenburgicae in imperium Alt.*  
1721. habita p. 16. sibi persuadent,  
Carolum IV. demum Burggrauios  
N. ad S. R. I. Principum dignita-

tem euexisse; forte hanc ob cau-  
sam, quia Carolus IV. Diplomate  
de anno 1363. Burggrauiis omnes  
auri, argenti, cupri, ferri, plumbi,  
stanni ac omnium minerarum mon-  
tana et fodinas concedit contalit-  
que. Quam opinionem solida illa  
Doctorum I. P. sententia, supra al-  
lata, destruxit.

IO. LAVR. SCMID<sup>z</sup>) et FELZ afferunt, illis superioritatem territorialem, alii e. g. HORNIVS tollunt, et quam plures, in tali lite componenda, iudices haud competentes, ieune admodum iurisdictionem tantum patrimonialem Nobilibus tribuendam esse, volunt. Fortasse ex discrimine, quod inter potestatem publicam atque superioritatem territorialem intercedit, clarior huius rei redundabit expositio. Falluntur enim ICTI, qui ab uno altero regali argumentum ducunt ad complexum omnium. Et si potestatem Nobilium immediatorum publicam non disfteamur, illa cum iuribus, quae verbo superioritatis territorialis, prouti a nobis definita est, continentur, non erit confundenda. Instrumentum P. W. quod ius sacrorum independens quidem Nobilibus concedit, eorum §. Gaudent, de superioritate statuum territoriali disponente, mentionem neutquam facit, et si in aliis P. W. locis, voce iuris territorialis posita, Nobilitas quoque immediata ibi comprehendatur, Nobilium attamen praedia, pro territoriis supra pag. XVII. not. q. a nobis descriptis, haberi nequeunt. Quae autem sine territorio territorialis superioritas cogitari potest? et quo modo P. W. iura Nobilibus concedere possit, quae ad eos nullo modo quadrant, non video? Quod iure sententiae in comitiis dicendae sunt destituti Nobiles, ex eo, ut KOPPIO placet, superioritatis territorialis defectus, vt mihi quidem videtur, nondum deduci potest. Gaudent nimirum haccce praerogativa et Imperii Ciuitates, atque nihil minus quidam Iuris Publici Dotores, profecto haud ignobiles identidem potestatem publicam Imp.

<sup>z)</sup> Augustissimi Regis Borussiae quandam a consiliis aulicis et consiliarius primarius ordinis equestris in pago ad Almonam, pater eximie doctus meritisimi filii Io. Christ. Schmid, se-


renissimi Ducis Wurtenbergici a Legationibus intimis, Consiliarius primarius ordinis equestris in pago Rhoenensi Werrano, de cuius benevolentia affinitateque licet mihi gloriari!

Imp. Ciuitatibus assignantes, superioritatem earum territorialem in controuerfiam vocant. Sane non insulse! quum et Imp. ciuitates territoriis (Reichsland) careant, licet ditionibus (Gebiethe) sint praeditae. De origine immedietatis Nobilium Ciuitatumque Imperialium accurate et exquisite disputatione, instituti ratio non permitit. Sufficiat mihi digito quasi monstrare, Nobiles in Franconia, Suevia, Rhenanis, que terris Ducibus fuisse subiectos, Ducatibusque, in primis in Franconia ac Suevia post Conradini obitum, extinctis necque amplius restauratis, in libertatem sese vindicasse. Eorum itaque immedietatem ab iis temporibus repetere, quibus Ciuitatis Norimbergensis (vt de aliis Imperii ciuitatibus in praesenti taceam) Immedietas assignatur, haud erit absolum. Sed haec obiter!

### §. VIII.

#### *De Burggrauis in genere.*

Quapropter absoluta hac qualicunque de origine superioritatis territorialis discussione, ad aliam, de ortu Burggrauorum in genere deque diuersis Burggrauiorum ordinibus, descendam. Auctores, qui arduum hoc atque enucleatu per dignum caput sumiserunt sibi erodendum, in diuersas abeunt partes; in eo tamen omnes conuenient, cui nec Auctor Norimb. §. 5. aduersatur, Burggrauii nempe etymon a vocabulis *Burg* et *Graf* esse constituendum. Nolo radices, vt ita dicam, ex quibus Burggrauii nomen est conflatum, sollicitius inuestigare. De *Burgi* enim significatu iam PFEFFINGERVS *Vitr. illustr. T. II. L. I. Itit. XVII. §. 7.* tam varia tamque utilia dedit, vt omni iure lectorem ed hunc publici Iuris solertissimum indagatorem atque ad agmina, vnde proficiat, ab illo laudatorum scriptorum, in primis vero ad HORNI pereruditum tractatum, *de Burgrauis Magdeburgitis*, remittere possum. Et LOEBERVM addere licet, qui, *de Burgrauis* differens *Orlamundanis* §. Diff. 3. notiores Burggrauiorum



rum denominations copiose exponit, omniaque tanta diligentia perquirit, ut neminem poeniteat, ipsum adire. Instruit quoque eandem scenam BVDERI *Repertorium Reale Pragmaticum* secundis curis cl. SCHEIDEMANTELII multo locupletius nuper editum, vbi sub vocabulo *Burggraf* locum hunc erudite explicat. Missis eorum nugis, quibus nil nisi peregrina placent, quique teutonicam vocem *Burg* a Graecorum vocabulo πύργος, turrim significante, seu, si Diis placet, a γῆς quod arabice itidem turrim denotat, inuita Minerua repetere student, τὸν *Burg* domesticam, nec a Graecis mutuatam vocem esse, atque Romanorum Castellum sive arcem signare, aperte laudati scriptores comprobarunt; quamuis et hoc illis demus, crebra habitacula muro non clausa, *Burgos* vocari, quin et quandoque oppidum *Burgo* adhaerens, *Burgi* vocabulo insigniri. De nomine *Graf*, *Graui*, *Grauionis*, Latinorum Comitis, infra dicendi locus erit, quando de genuinis *Comeciae* natalibus sumus dicturi. Id tantum praestruere iuuat, nonnullos sinceris rerum censoribus stomachum, seu potius cachinnum, mouere, dum, risum teneatis amici! *Grafen* ἄντας γραφεῖν Graecorum, sive a grauitate Latinorum, dictos fuisse, sibi persuadent. Quid? quod et alii rectius quidem ex vernacula lingua vocis etymon deducentes fastidium tamen lectori creant, si a *Kraft*, vel a verbo *Graben* (fossa), deriuandum esse, existimant. Optime fortasse ii faciunt, qui a canicie, seu voce originaria *grau*, *graui* repetunt, quandoquidem veteres proiectioribus aetate *graui* monus plerumque demandarunt, atque adeo a potiori, quod aiunt, facta est denominatio. Vtunque se res habet, ne plus, quam par est, lubrico Etymologiae inhaeremus, paucula tantum, Comitum officia quae respiciunt, annotabimus. u) Miror quippe, Autorem Norimbergensem pri-

mae

u) Iam Merouingici prouincias, ces hisque subordinatos Comites Imperio eorum subiectas, per Du- f. *Grauiones* rexerunt: interdum

et

mae §. 5. propositioni, nullo adhibito discrimine, oppido statim annectere: vocabulum *Graf* antiquiori aetate tantum modo iudicem denotasse, idque lippis, uti aiunt, atque tonsoribus tam notum esse, ut prorsus nihil adsit, quod longius hac de re nos dubitare sinat. At enim vero, cum bona Auctoris venia, contendo, haec nimis generatim ab ipso esse pronuntiata. Dum breuitati studemus, dumque hoc §. alia adhuc sunt ponderanda, ampliorem huius rei pertrationem aggredi nondum possumus. Adeat ergo, si placet, viri *illustris RVDOLPHI* laudatis vindicias ibique a pag. 73.-79. excitata capitularia, ex quibus sat multis locis comprobari potest, eum manifestam vim menti inferre, qui nil nisi iudices quondam comites fuisse, arbitratur. Vexillis seu hasta signifera inuefitti, imperium in complexu exercuerunt, banque instructi et politiae curam habuerunt, paecepta regum circa rem monetariam et foresta obferuari curarunt, perque ministros quoque tributa a pagensibus receperunt, quae sane in meros iudices haud adeo quadrant. Sed haec obiter. E diuerticulo in viam redeuntes, Burggrauii notio-

nem

et solis Comitibus regendas concesserunt, Carolum M. Ducum ni-miam timentem potentiam, Ducas-tus sustulisse et in Comitatus Du-catus illos commutasse ex Historia Imperii edocemur. Sub posteris illius Duces, iure quasi postliminii redierunt, et antiquus mos, per Duces et Comites administrandi prouincias ad Germanicos et pri-mum quidem ad Saxonicos reges et Imperatores migrauit. Quin et successu temporis varia Comitum genera suborta sunt. Qui in pala-

tio Imperatoris vel regis ius redde-bant *Comites Palatini* vocabantur; qui prouincialis mediterraneis praefecti, *Landgrauii*; qui limitaneis *Marggrauii*; qui *Gavis* vel *pagis Gograuii*, qui *Burgis* paeerant, in illis ins dicebant, aliaque obibant munia, *Burggrauii* dicebantur. De posterioribus *Vossius* contendit: Burggrauii axioma sublimius visum fuisse, quam Comitis magisque ar-rississe, quin et *Vrstifus* addit: Burggrauios s. Aduocatos Comiti-bus olim antelatos fuisse.

D

nem nunc p[re]a illa Comitis eruemus. Quo diutius ingenii  
acie qualicunque varia Burggrauiorum genera anquirimus  
atque contemplamur, eo difficilius est, generali definitione, Burg-  
grauium, haud vnum siue iudicum, siue praefectorum, genus, tali  
modo insignire, ut definitio a Logicorum supercilio nil me-  
tuat, neque ad logicum rigorem offendat. HORNIVS qui-  
dem illos Burggrauios dictos fuisse autumat, qui ab Imper-  
atoribus et Regibus castris et Burgis atque adjacentibus terris  
et urbibus fuerunt praefecti, ut illas regerent atque ibidem  
ius dicerent. Recte omnino, si tantum de Burggrauis,  
longe eminentiori dignitate p[re]a aliis fulgentibus, Imperiali-  
bus quippe, sermo est. At quis nescit, esse quoque Burg-  
grauios ab Episcopis, Ducibus, Comitibus, Ciuitatibus et  
Nobilibus constitutos? quin et Imperatori non omnes  
vnus eiusdemque conditionis fuerunt, sed alii e. g. Burg-  
grauii Kirchbergenses, Comitibus equiparantur, alii tam te-  
nues atque exiles conspiciuntur, vt, dum extra fines Castrorum  
ad circumiacentes terras officium protrahere illis nefas esset,  
illustribus personis non sint annumerandi. Auctor Nor-  
imbergen[s]is contendens: Burggrauios comites fuisse minorum  
ordinum, a maioribus Comitibus semper distinctos, et  
nullo non tempore Castellis tantum atque Ciuitatibus pra-  
positos, in Scyllam incidit, dum vult vitare Charybdim.  
Non poterat enim non sua descriptione illos tantum innuere  
Burggrauios, qui, quasi Dii minorum gentium, ab Episco-  
pis, Ducibus, Comitibus, Nobilibus et Ciuitatibus consti-  
tuti, cum Imperatoriis maiorum ordinum (*Reichsburggrauen*)  
neutriquam sunt confundendi. Aliud quoque ex LIMNAEI  
verbis, ab auctore, ad Definitionem suam comprobandum,  
allegatis, eruere non possumus; nam licet Comitum distinc-  
tionem in maiores atque minores non reiiciamus, exinde  
tamen nondum sequitur, omnes Burggrauios minoribus tan-  
tum Comitibus esse accensendos. An laudati PFEFFINGERI,  
seu potius (quum in Testu leguntur) VITRIARII verba  
Burggrauii notionem penitus exhaustiant, atque ad omnia  
Burg-

Burggrauiorum genera quadrent, dubito. Designant nimurum l. c. §. 14. Burggrauios Comites fuisse ab imperatore de Castro Imperii rite inuenitos, atque aperte declarant, auctorem tantum Imperatorios Burggrauios in mente habuisse. Mallem itaque eam PFEFFINGERI definitionem arripere, quae cit. l. §. 7. est prodita, quaeque Burggrauios comites arcis et praefidii sicut, atque in Notis varia Burggrauiorum genera statim annectit. Praestantior vero cl. SCHEIDEMANTELII sententia est, quam in laudato *Repertorio*, vocabulum *Burggraf* exponens itidemque *VDERI* notionem eximie emendans, profert statuitque: Burggrauios fuisse Praefectos et Praefides in arcibus residentes, quibus tum nomine Imperatoris, tum Episcopi s. Archi-Episcopi (adde: quandoque nomine Ducum, Comitum, Nobilium) belli, iustitiae, politiae s. rerum oeconomicarum administratio (adde: quandoque tantum arcis cuiusdam tutela) incumbebat. Animadvertis quippe vir eruditissimus, disiunctiuam admittens definitiōnem, discrimen haud leue inter Burggrauios intercessisse, subiungitque notioni mox insignem Imperatorios atque Episcopales inter differentiam, quibus, vti proxime sequentia declarabunt, adhuc plura Burggrauiorum genera adscribenda sunt. De multiplici in medio aeuo Burggrauiorum denominatione si simus solicii, iam à LOEBERO l. c. p. XXI. notatum est, voces, *Burggrauius*, *Burggrafus*, *Burgrauius*, *Burggrauius*, *Burchgraffus*, *Burckgrauius*, *Purggrauius*, *Borggrauius*, *Boerggrauius* in Diplomatibus occurtere; et ad Synonyma animum si intendamus, Burggrauios olim Aduocatos Burgi (*Voigte*, *Burg Voigte*, *Oberste Voigte*) vice Comites, quin et Castellanos appellatos esse, in propositulo est. An et Imperatorios Burggrauios eminentioris dignitatis, Castellani nomen semper denotet, mihi nondum liquet. Profecto si Castellani vocabulum simpliciter vocabulo *Burggrauii* aequipollere velimus, v) STÜBNERVS supra cit. *Dif.* §. XVI. vtrum.

D 2

que

v) Si pari passu ambulant, fa- lum multum a pristino vsu recessisse, tendum est, et Castellani vocabu- quum et subinde viiores homines,

que officium ingeniose discernens, emendatione indiget. Ceterum quod ad diuersam Burggrauios vernacula lingua scribendi rationem attinet, lubens LOEBERO assentior, eam ex corrupta mediae aetatis ortographia fluere, atque varia Burggrauiorum synonyma e Latio arcessita, SEIDELIO l. c. p. 42. praecclare monente, sine dubio inde proueniunt, quod latina lingua, medii aei Diplomatibus vistata, Burggrauii nomen natuum respuit, hancque ob causam Burggrauii vocabulo aliud, minus adaequatum, substituit. Quibus praemissis ad ipsa Burggrauiorum incunabula deuenimus. Magnum profecto sententiarum diuortium in auctoribus, hacce de re occupatis, offenditur, quod comprobat, quod nemini mirum videri debet, in rebus tam antiquis tamque tenebriosis tot esse capita, quot sensus. Ne aliorum scrienia expilare censear, vitro profiteor, me multum ex iis, quae apud HORNIUM, LOEBERVM, SEIDELIVMQUE sparsim leguntur, in vsrum meum conuertisse, verbaque eorum nonnunquam mea fecisse. Differentiam ante omnia inter Burggrauium Landgrafiumque, a HACKIO *Chron de Com. Templim.* et post eum a THOMASIO *de Iurisd. et magistr. Diff. Thef. C.* negatam omni iure meritoque statuentes, conspirant laudati scriptores atque euidentibus probant testimonis, Burggrauii vocem sub Carolingico Imperio fuisse incognitam, quin immo ab aeuo Henrici Aucupis alienam. At enim vero si plane nos contentientes habere volunt, non refragabimus, dummodo scrupulum nobis aliquem eximant, inde natum, quod iam in Francicorum praesertim Carolidarum monumentis *Burguardi* obuii sunt, nomine quidem a Burggrauis distincti, re ipsa tamen i. e. officio ita coniuncti, ut nos quidem, qualescunque fuerint illi *Burgwardi*, praecursores Burggrauiorum eosdem compellare vix ac ne vix qui-

qui  
quibus cura arcis s. castri cuiusdam nos hodie nuncupare solent.  
inspectio demandata est, Castella-

quidem dubitemus. w) cf. omnino PFEFFINGER l. c. §. 7.  
 p. 594. Coniectura est, fatior, adeoque viteriori examine  
 haud indigna, salem non ita temeraria, vt culpa eorum in  
 nos possit conferri, qui Iustinianea de praefecto, tam veteris  
 quam nouae Romae i. e. Constantinopoleos, iura, ad Burg-  
 grauios nostros trahere non erubuerunt. Ne vero iusto  
 diutius coniecturis indulgeamus, in eo cum laudatis aucto-  
 ribus sentimus, quod nomen Burggrauii ex aevo Saxonico-  
 rum Imperatorum sit petendum adeoque dignitatis auspicia  
 sub Ottonis I. Augusti principatu in constitutione Ad-  
 uocatiarum reperiantur. Satis aperte non tantum ex Ottonia-  
 ni aeui, sed etiam ex antiquiorum temporum Documentis  
 constat, Imperatores et praestantissimos subinde Principes  
 atque rebus praeclare gestis insignes nimio plus Clero in-  
 dulsiſſe, atque in eius diutius augendis medium non tenuisse.  
 Ut Episcopatus atque Archi-Episcopatus ab illis conditos  
 silentio praetermittam, illorum temporum Annales abunde  
 docent, quam largis ditionibus, quam amplis territoriis at-  
 que regalibus iuribus, iam ante Ottonem I. et praecipue quo-  
 que illius tempore eiusque fauore, praeediti fuerint clerici;  
 quamque multas vrbes, quarum prima incrementa ab Epis-  
 copatum fundatione in primis sunt repetenda, inhabitauerint.  
 Quae cum ita essent, eorum erat, vt iuris dicundi, belli  
 pacisque quaeque alia Imperii saecularis sunt, curam habe-  
 rent. Quum vero iam dudum antiquum illud iuris axioma,  
 Ecclesiam non fitire sanguinem, inualesceret, ab Imperato-  
 ribus factum est, vt Aduocatiae confituerentur, quarum  
 plena est exemplorum vetustas. Siquidem Aduocati (*Schutz*  
 und *Schirm Voigte*,) probante LOEBERO p. 26. fol. et Cauffi-  
 dici, Tutores, Protec̄tores, Actores, Paltiores laici, Defen-  
 sores

D 3

w) cl. Scheidemantel quodam modo mecum sentit: Es ist wohl nicht zu leugnen, l. c. §. 5. aiens, dass schon unter den Carolingern einige königliche Richter in den wenigen Burgen waren. Burggrauii nomen vero ante Sec. XII. non innotuisse putat.

fore, Mundiburdi, Vicedomini &c. dicti, ne Clerici ab animarum cura, quam nullo non tempore in ore habebant, distraherentur, vtque secularibus negotiis non impediti, tanto melius ecclesiatico munere perfungerentur, ab Imperatoribus sunt proditi, atque Episcopis, Abbatibus ac Monasteriis adiuncti. Qui igitur in turbida illa tempestate bona Clericorum ab hostium incursionibus armis defenderunt, ciuilem criminalemque Iurisdictionem tanta auctoritate exercuerunt, vt Clericalis ordo, inuitis illis, valide quidquam confidere vix posset. Vetus quoddam Chronicus MSpt. Magdeb. Scabinorum, ab HORNIO p. 17. ex OCKELII tr. de Palat. Reg. excerptum, pro temporum ratione lepidam huius rei dedit narratiunculam, quam heic apponere licebit:  
*Wente de Bischoffe beiten in den tyden, lever Cäsele, wete Platen, vn Predigten lever, wenn sie dagedingen, so gengen o lever tho Chore, wenn se in die Herfärth togen, sie legen lever tho Schlapp Huse, wenn tho felde, sie borden lever in den Psalter tho Dische lesen, wenn den Hufmann ob den thore blasen und finde raffen.* Postquam vero deinceps eo usque progressi sunt Aduocati, vt depravatos Clericorum mores subinde corrigere studerent, tantum sibi Clericorum odium concitarunt, vt hi omnes intenderent neruos, Aduocatos a se amouendi. Euentus autem votis non statim respondit, quum, gliscente Clericorum dignitate, et Aduocatorum potestas pariter adficeret simulque eo procederet, vt et Duces et Comites Aduocationis iura suscipere, seu in monasteriis a se constitutis sibi reseruare e re sua esse putarent, quin et dignitatem, quae ambulatoria antea fuit, hereditario iure ad successores transferrent, emerent, oppignorarent, se ipsis autem aliis, splendidioribus nimirum nominibus decorarent. Ita vero, qui Burgos seu Castella Imperatoris vice tenebant simulque Aduocati munere fungebantur, a Burgis Burggrauii elogium sibi sumserunt. Quod et supra allegati Chronicci verba indigitant, quae sic se habent: *dat schauch darumme, dat de Burggrafe solte das Gotteshus verfechten und hel-*

helpen beſchirmen tho welllicher Rechte; et mox infra: darumme wort de Borggraffe dem Gotteshus tho Vogete gefant, und was des Gotteshus Hūgeſt Vogt genannt. Quanti ponderis iurisdictio horum Burggrauiorum fuerit, vel exinde dispaleſcit, quod insigniora ex illa orta ſint dicasteria s. scabinatus, e. g. Magdeburgensis, Hallensis, Donensis et s. p. quorum reſponſorum eximiam in medio aevo auctoritatem, nullus in hiſt. iuriſ priuati Germanici vel mediocriter verſatus, ignorat. Atque haec ſufficiant de Burggrauis, quos imperiali auctoritate Epifcopis fuſſe addictos diximus, quorumque exemplum maxime celebre Burggrauium Magdeburgensem habemus, de quo praeſertim HORNII pereruditia lucubratio verba fecit. Conſtitutus erat ille Burggrauiatus ab Imperatore, pendebatque, quid quid aduersarii ab HORNIO refutati contra nitantur, ab Imperio; pro vniſa autem norma ceteros Epifcopales diiudicandi Burggrauios vel ideo haberi non potest, quia luce meridiana eſt clarius, facelſu temporis Epifcopos, Imperatoribus cennuentibus, ſibi ipſis Aduocatos Epifcopatum tutelares conſtituiſſe, quorum haud pauci Burggrauii axioma adſciuerant. Qui quum dignitate iam iam memoratis Burggrauiis multum eſſent inferiores, statim quoque eo ſunt redacti, vt coacti eſſent, Epifcopis iam ſaecularem potestatem exercentibus, cedere, atque Epifcopis ſua iura relinquere. Quibus aucti iuribus, Nobilibus quibusdam ſeu aliis honestis viris, qui itidem Burggrauii ſeu comites urbium appellabantur, munia quaedam oeconomica v. g. inspectionem granarii &c. obtulerunt, ex quibus apprime cognoscitur, eos cum modo allegatis nil niſi nomen habuiffſe commune. x) Non eſt, quod talium Burg-

gra-

x) Loebenr. 1. c. tales Burggrauios nomine *Kaſten Voegte* compellat, eosque, ſane non infulfse, cum honoratiore Oeconomio in Ita-

lia Maggiordomo vocato, comparatur. Et alio loco p. 44. fol. not. † a) exemplo a vocabulo *Consulis* petit o, ingenioſe commononat, Burggrauii  
axio-



grauiorum exemplum anxie quaeramus', etenim otium nobis fecit Auctor Nor. tale exemplum suppeditans mox aequa lance ponderandum. Interim et Burggrauii conspicuntur, quibus nil negotii erat cum ecclesia, quiue terris Imperatoribus et Regibus immediate subiectis praepositi, inque illis ius dicentes, in bello exercitui, in pace vero saeculari regimini praeerant iustitiamque administrabant. Sunt quippe Burggrauii Imperatorii s. imperiales; et quum iam supra diuersas horum Burggrauiorum classes breuiter tetigerim, eos, qui praeclariori dignitate potiebantur, paucis contemplabor. Tantum enim abest, ut intra castri cuiusdam fines illorum potestas contineretur ut potius in terras adiacentes latissime aliquando se se extenderet. Suffecti in locum Comitum, quibus in pagis (*Gauem*) iurisdictione competebat, eadem, qua comites, praediti erant potestate, atque in Castris vel ciuitatibus in eorum comitatu existentibus agentes, et per modum exceptionis Ducibus non subiecti, nomine Imperatoris ciuilem aequa ac criminalem iurisdictionem, bannum regium, exercuerunt, vsque dum per specialia priuilegia ciuitates quaedam eorum iurisdictione eximerentur. Quibus deficien-  
tibus, Ciuitatis magistratui, qui et homagium Burggrauio praefestare tenebatur, praeſidebant, et controuersias altioris indaginis ipſi dirimentes, Vicariis, seu Scultetis suis, leuiores

axiomati idem contigisse, quod fōlet vocabulo *Consulis*, quo ho-  
die cuiusuis ciuitatulae burgimagi-  
ſtri vtuntur, et cuius amplum splen-  
didumque significatum, nemo non  
Historia Romana aliquantulum tan-  
tum imbutus, nescit. Niſi per se  
pateat, verba quam ſaepiffime a ve-  
teri loquendi vſu recedere atque  
in alias ſignificationes degenerare,  
eumulum exemplorum addere pos-

sem. In promtu ſunt honorum tituli, quibus homines insigniantur e. g. vocabulum *Illustris*, Carolin-  
gico aeo Imperatorem denotans, noſtrisque temporibus multo libe-  
ralius datum. Quodſi posteri axio-  
ma *Excellentiae* (*Excellenz*) am-  
plectentes, inde ad ſtatutum eorum  
argumenta ducerent, qui hoc elo-  
gio hodie corruſcant, nae ſane ri-  
diculi forent.

res caussas decidendas permisserunt atque in primis redituum Imperialium curam gesserunt; At vero ea, quae Imperatoris nomine ac auctoritate originetenus administrarunt, nata posthac superioritate territoriali (quando orta sit in tractu Norico infra videbimus) vna cum territorio ipsi adquisiuerunt atque ad posteros hereditatis iure transtulerunt. Huc referamus necesse est Burggrauios, de quibus nobis sermo est, Noricos quippe, quorum hodiernus felicissimus successor est Serenissimus Princeps noster, populi sui deliciae. Memor propositi specimenis continuationem mox sum daturus, ideoque non opus habeo, ut huic §. plura adhuc de eiusmodi Burggrauis addam. Quum opposita iuxta se posita magis eluceant, de minoribus Burggrauis aliqua adhuc dicenda sunt. Quibus minorum ordinum Burggrauis siquidem an numero Burggrauios, a Ducibus, superioritatis territorialis compotes factis, constitutos, usque clientelari nexu, qua castrenses (*Burgmanni*) subiectos, quorum potestatem tantum iudicariam eamque valde restrictam fuisse vel exinde coniici potest, quod a REINERO REINECCIO in *Annal. de gestis Caroli M.* quinque, ab ALBINO vero *Meism. Chron. l. VIII. fol. 199.* septem in Misnensi terra numerantur Burggrauii. Quid quod et LOEBERVS *l. c. p. 28. fol. addit.* ex chartis et monumentis perspicuum esse plures praeter hos septem in Misnia floruisse Burggrauios. Et Comites, Ducum exemplum sequuti, suos habuerunt Burggrauios, qui mutatis mutandis Comitibus in Castris eadem, nonnunquam et iudicaria praestiterunt officia, quae Ducibus Burggrauii ducales et Burggrauii Orlamundani, a LOEBERO ex instituto pertractati, clarissimum hac de re exhibent exemplum. Ne aliquod minorum ordinum Burggrauiorum genus omittere videar, coronidis loco et eos Burggrauios commemorabo, quos Ganerbinatus, Nobiles vel Ciuitates denominarunt. Ganerbinatus, seu conuentiones illae Nobilium, securitatis publicae caussa initiae, ex iure manuario trifissimoque bello omnium contra omnes dissipationum tempore in Germania visitato, originem

E

tra-



trahentes, in causa fuerunt, ut Ganerpii Praesidem eumque  
 iudicem sibi deligerent, atque in arce seu burgo collocatum,  
 Burggrauium nuncuparent. Et ne hocce Burggrauiorum  
 genus exemplis sit destitutum, ecce Burggrauiorum trigam,  
 Rotenbergensem (quem Loeberus falso Rotenburgicum com-  
 pellat) Fridbergensem adhuc florentem et Gailnhusanum.  
 Nobilibus quoque solenne erat, clientes suos nominare Burg-  
 grauios, iisque qualiacunque iudiciaria munera committere;  
 ac fane memoratu dignum est et in Caroli IV. Imp litteris  
 de anno 1352. ap. de LVDEWIG Rel. MSpt. tom. IV. p. 282.  
 nobiles quosdam Penz et Schwarzae Burggrauios fuisse ap-  
 pellatos. Quum enim de eodem Imperatore paeclarissimum  
 illud priilegium, Norimbergensibus Burggrauis de honore  
 atque dignitate Burggrauiatus Norici concessum, infra ex-  
 planandum, exstet, argumento atque indicio nobis esse pot-  
 est, dignitatem vno eodemque nomine insignitam non sem-  
 per esse vnam eandemque, atque thesin de variis Burggrau-  
 iorum generibus non esse meram coniecturam, sed veri-  
 tatem, Documentis sat eximiis suffultam. Ciuitatibus deni-  
 que Burggrauii Imperiales, ab Imperatoribus constituti, ab  
 initio praeerant; quum vero et Ciuitates, voti compotes,  
 exemplo Episcoporum eo venirent, vt iurisdictioni horum  
 Burggrauiorum se subducerent, et ipsae Burggrauios institue-  
 runt, de quorum exigua dignitate exilique simulacro *Franco-  
 furtana relatio historica* (*historischer Verlauff*) a LOEBERO p. 46.  
 excitata testatur; Burggrauii scilicet opificum numero ibi  
 accensentur: *Wir Burggrauen Zunftmeister und gemeine Burger-  
 schaft daselbst*. Sed quorundam haec omnia? eo redeunt, vt  
 quilibet praeoccupata mente non occaecatus, intelligere queat,  
 LOEBERVM, de B. N. minus accurate sed inique sentientem,  
 p. 29. omni iure eos carpere, qui, vt verbis illius utar,  
 capillo auribusque Burggrauios ab Episcopis constitutos ad  
 Burggrauios ab Imperatoribus ordinatos trahunt, ideoque  
 insigniter labuntur. Numne et Aduersarius Norimbergensis  
 nobiliores Burggrauios et inferiores promiscuos habeat, alii  
 diiu-

diudicent. Et ille, prouti a viro antiquitatum gnaro exspectandum erat, §. 4 tract. statuit; Burggrauios non vnius eiusdemque dignitatis fuisse, diuisionemque Burggrauiorum in mediatos atque immediatos adducit; y) quin addit, Burggrauios Norimbergenses, qui huc in conspectum veniunt, e numero fuisse immediatorum, nihiloque minus exempla a Burggrauiis deterioris conditionis tantum desumpta §. 5.—9. incl. profert, quae huc nullo modo quadrant et disquisitione de dignitate B. N., cuius illustratio ab exemplis Imperatoriorum Burggrauiorum est repetenda, plane nil inferiunt. Prouocat quidem ad Capit. 3. iuris Alemanni, eaque verba exhibet, quae et ap. LOEBERVM l. c. p. 41. leguntur, quaeque mensurae atque ponderis inspectionem Burggrauiis injungunt, atque offici praefantioris notam plane nullam exhibent. Enim vero iam praemonui, specula illa lubricam complecti hacce de re decidendi rationem. Neque hoc loco praeterimus, sed potius ipsis rerum argumentis admoniti, tuto affirmamus, aliam speculis tribuendam esse auctoritatem in priuatis causis, aliam in publicis; et in illis quidem non spernendam, in his vero exiguum, leuiuscum, ne dicam nullam, habent, quam nisi haberent, mihiique contra in animo esset, speciosis vti argumentis, Saxonici Speculi Art. LII. L. 3. Gaertn. Ed. p. 436. pro me allegare possem, cuius verba ita sonant: also ist der phalanx greue über den Keyser, und der Burggräue über den markgrauen. z) Explicate ita-

E 2

que

y) Et cel. Scheidemantel §. 4. l. c. de diueris Burggrauiorum generibus differens, diuisionem Burggrauorum 1) in mediatos et immediatos 2) in principali dignitate insignitos (*gesfürstete*) et non insignitos (*ungefürstete*) admittit, moxque ita pergit, quod in sqq. ad rem nostram pertinere, appare-

bit: Die Größe der Territorien machte einen sehr reellen Unterschied etc. man findet, daß die Grossen und Fürstlichen Burggrafschaften bald erblich wurden, aber die kleinern wurden noch mehr vermindert oder gar Landstände.

z) Crux Criticorum! Locus, qui eo magis turbauit interpretes, quum

te

que dicitur Marchionis iudicem esse Burggrauium. Sed singularē Burggrauiorum splendorem cum HEIDERO inde elīcere nolo, neque cum LANGVTO citatum locum ita capio, ac si turbulentō Germaniae statu forte Marchiones principes Burggrauiorum iudicium sponte subiuerint, sed arridet quod Thomasius de Iurisd. et Magistr. Diff. p. 64. Thes. XCV., Glosſatore duce, statuit, Marchionem exercuisse iudicia criminalia, et Burggrauium in Causis ciuilibus, et debitis fuisse iudicem. Sed inox addit: Igitur non confundendus est hic Burggrauius cum Burggraſio Magdeburgensi, qui iudicium exerceret unter dem Königs Bann. Ad Sueicum Speculum quod spectat, LOEBERO adſtipulor, cit. l. p 41, qui, „refero huc, inquit, quod fere miratuſos quosdam, subſfecerim, „quae de Burggrauis in Speculo Suelico adferuntur. Certe „compositum est Speculum iſthoc, in quo multa, perinde, „ac in Saxonico, ſuſpecta ſunt, decimo tertio demum Saeculo. Ut plane non videam, quir verba eius, viliorem Burggrauii

et A. B. c. v. §. 3. dicitur: Imperatorem ſue Regem Romanorum Super cauſis, pro quibus impeditus fuerit, habeat coram comite Palat. Reni. S R. 1. Archidapifero, Eletore Principe respondere. Senkenberg hocce iudicium Comitis Palatini in Caſarem pro fabula declarauit, alii vero e. g. Eftor, locum ad iudicium Principum trahunt eumque ita exponunt, vt, fi Caſar coram eodem iudicio vel ageret vel conueniretur, Comes Palatinus in iudicio praefideat. Nescio an haecce expofitio cum iis, quae ſequuntur, cohaereat, et verba und der Burggeaue über den Markgrauen,

ad iudicium principum ſpectare vix credibile eſt. Vt de singulari Burggrauiorum exinde probanda dignitate taceam, ponamus, verba, prouti iacent, eſte explicanda! Numne dignitati marchionis quidquam eo derogatur, quod Burggrauius Marchionis iudex fuerit? Nemo haec vnam dixerit. Animaduertat igitur Auctoř Norimb. argumento, quo p. 179. Diſq. ſuæ vtitur, Burggrauios, dum iudicium Norimbergense agnouerunt, territorio et proprio iudicio fuisse defititos, non adeo multum roboris inesse, vt nos nihil habeamus, quod respondere poſſimus.

„grauii conditionem ianuentia, ad Burggranos Imperiales cum „plerisque auctorum pertrahamus. „aa) Et Auctorem aliquo modo pertrahere ex verbis, ni fallor, patet, quae mox idem ex KOENIGHOFENI Cbr. *Alfatico de Burggrauii officio profert*, quaeque et ap. LOEBERVM p. 40. fol. leguntur. Et quum totus est in excerptis locis, quae de Burggrauii munere in Statutis Augustanis a WALCHIO viro ill. (*vermischt Beyträge zu dem deutschen Recht 4. Theil p. 1. seqq.*) primum editis, bb) exstant quaeque magnifice de Burggrauis statuere nos prohibent, iam iam fortasse innuit, quod ea quae sequuntur aperte docent, et Burggrauiorum Norimbergensium munus mere fuisse iudicarium. Absit! Burggrauius episcopi Augustani, teste GASSARO *Ann. Aug. fol. 317.* Aduocatus per Ciuitatem, seu, vti de LVDEWIG *Rel. MSp. 7. II. p.349.* et p. 375. placet, Comes urbanus dictus, vnu ex classe Burggrauiorum, vt ita loquar, proletariorum fuit, vt nihil prorsus ad illustrandum officium Burggrauiorum Nor. splendidissimum facere possit. Videlicet subiectus erat antistiti Augustano Burggrauius ille, et quamquam A. N. Statuti verba: wann er Oberster Burggraf ist §. 7. p. 79. auidissime arripit et nescio quid inde elicere conatur, aliud tamerr innuere non possunt, quam Episcopum fuisse huius Burggrauii praefulem, eiusdemque Dominium atque minus propriæ hic appellari sumptum Burggrauium; ipsum autem Episcopum Burggrauiatum

aa) Et Thomasius I. c. p. 68. Thef. CI. Interim, inquit, ex textibus Speculi Sueicii repetendum est, Burggrauiorum vocem aliquando usurpatam fuisse de indice *Vicario*.

bb) Collatione statutorum, a Walchio editorum, cum Auctoris excerptis facta, sequentia Sphalmata typographica, sensum turbantia,

occurserunt, quae annotare operae pretium fuerit. §. 6. l. 16. pro *Sitteten lege futureren*; lin. 18. ibidem pro *der Statt lege der Stadt*. Vocabulum *fürter* p. 77. lin. 11. cum *ferner* in parenthesis est explicatum. Est vero, prouti contextus docet, idem quod *fütter* ii, qui pastum vel pabulum dant. p. 81. l. 6. pro §. 198. l. 189.



P 103

tum immediate a Caesare eodem modo, quo Burggrauii Norimb. tenuisse, prouti auctor statuit, nemo dixerit vel valide demonstrauerit. Quod si non ita esset, cur quaeſo, verba: *wolt aber Im der Bischoff nit vorſeyn, ſo foll ſie ein Vogt ſchirmen mit der Burger rate filum sermonis continuant?* Aduocatus vna cum ciuibus Epifcopi, hoc onus subterfugientis, partes fuſcepit, numne ideo immediati Burggrauiatuſ ius exercuit? minime gentium! Quin et Aug. Imperatorem totius Ecclesiae christianaſ ſupremum Aduocatum nuncupare ſolent, ex eodem tamen non ſequitur, ipsius Aduocatiam cum qualibet alia pari paſſu ambulare. At enim vero, ne nimis praecipiſti ſuffragio pronuntiemus, fortaffe eo tantum fine, inferioris cuiuſdam Burggrauii deſcriptio ab A. fuit allata, vt FALKENSTEINIR de Burggrauii notionem §. 5. *Nota 1.*) ab auctore refutatam, redarguat. Si nihil aliud A. N. propositum fuit, me non habebit, vti ex antecedentibus liquet, diſſidentem. Peccat omnino de FALKENSTEIN, dum, nimis acerbe in MÜLLERVM N. Annaliftam inuehens, ſibi perſuadet, nullum omnino Burggrauiatum, ne minimum quidem, cuiuſ cuidam fuſſe oblatum. At FALKENSTEINII auctoritas non eſt tanti, vt in eius ſententia tamquam Edicto praetorio aliquis poſſit acquiescere, aut in verba eius veluti Iouis lapidem iurare.

Reſtat adhuc, ut reliqua Auct. Nor. de B. N. lemmata modeſte diſcutiam, ſed metuens ne ſcriptum hoc, quod in præſentia nobis componendum erat, ultra modum excreſcat, vela contraho, vberiorem de hac materia diſquifitionem, ſi noſtra qualisunque ingeniolı opella. Lectori omnino non diſpliceat, in aliad tempus dilaturus.

#### T A N T V M.

**ULB Halle**  
007 368 429

3




vD78





B.I.G.



M. IOANNIS GEORGII ZENKER  
DE  
PRINCIPALI BVRGGRAVIORVM  
NORIMBERGENSIVM  
D I G N I T A T E  
EORVMQVE  
TERRITORIO  
ANTE RVDOLPHINAM INVESTITVRAM  
DE ANNO MCCLXXIII.  
COMMENTATIO PRIMA.



ERLANGAE  
APVD IOANNEM IACOBVM PALM. clo 10 CCLXXXIV.

